audaces ob caliditatem ſanguinis quæ eſt cauſſa audaciæ. Nonum eſt, ſanguineos eſſe benignos ac clementes, ob ſanguinei humoris benignitatem.

DE TEMPERATVRA SIVE complexione Cholerica.

CAPVT XCI.

Est humor choleræ, qui cōpetit impetuoſis,
Hoc genus eſt hominum, cupiens præcellere cunctos,
Hi leuiter diſcunt, multum comedunt, citó creſcunt.
Inde & magnanimi ſunt, largi, ſumma petentes,
Hirſutus, fallax, iraſcens, prodigus, audax,
Aſtutus, gracilis, ſiccus, croceiq́ coloris.

Eephraſis.

Heic adſignantur ſigna quædam & notæ complexionis cholericæ. Prima eſt, cholericum eſſe impetuoſum, id eſt, facere cuncta cum impetu, quia ſuperfluus calor in cholerico impetū excitat, unde Auic. 2. 1. Doctr. 3. cap. 3. Operationes exceßiui motus ſignificant caliditatem. Secunda eſt, Cholericum eſſe-